

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Specimen Pharmacopoeae Militaris Franco-Gallicae

**Handel, Georg Theodor Christoph
Argentorati, [1797]**

VD18 11681020

Enumeratio Medicaminum simplicium et praeparatorum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11735

ENUMERATIO MEDICAMINUM
simplicium et praeparatorum.

A n t i m o n i u m c r u d u m ,
(G. Antimoine crud.)

Factitium omne in usus vocatum, licet et naturale sit. Vitrum quod largitur, pallide flavescentes, non hyacinthinum, ferro mixtum est, quale hodie ex Arvennia habetur, cl. Geoffroy „ academ. de sciences 1751. “ Nunquam illud in substantia propinavi, cum:

A n t i m o n i u m t a r t a r i s a t u m ,
(G. Antimoine tartarisé,) vulgo:
T a r t a r u s e m e t i c u s , (G. Tartre émetique,) et.

V i n u m a n t i m o n i i H u x h a m i i , (G. Vin d'Antimoine d'Huxham,) in omnibus, ubi antimonialia



indicata erant, conduxisse viderim causibus.

Prius diversis antimonii praeparatis confectum, optime in modum paratur sequentem:

Immitte:

Vitri antimonii pulverificati uncias quatuor; Pulveris crystallorum Tartari uncias octo;

Aquae pluvialis purae libras viginti in vas terreum, probe vietatum, beneque mixta coquantur, per duodecim horas, bacillo ligneo saepius agitando; tunc liquor colatur, et, ad siccitatem evaporatus, servetur.

Nostratibus dosis granum unum ad tria per se; actuandorum aliorum caussa, granum unum, semis adjiciuntur. Dosi magis refracta datum, commodum kermes mineralis sulphurisque aurati antimonii sistit surrogatum.

Posteriorius congrue fit, solvendo: Antimonii tartarisati grana duo in:

Vini albi boni uncia una.

Tuto solutio haec vel resolvendi vel movendi exhiberi potest scopo.

Dosis pro indicatione et aetatis
variat ratione.

Aqua pluvialis (G. Eau de
pluie,)

Hippocrates hanc tenuissimam, limpidissimam, levissimam et dulcissimam jam pronuntiavit, divissimusque Frid. Hoffmann eleganter vocat destillatam.

Distincte tamen haec aqua est consideranda. Quae enim tempore hyberno colligitur, est valde cruda; quae vere primo descendit, sordibus quoque non caret. Praefertur majalis, dein aestiva. Melior etiam est, quae absque tonitru venit. Bene vero asservatur, et destillatae loco inservire potest, si nudo excipiatur coelo ac pulvere carbonaceo Lowitz immisso, ita corrigatur, ut, impuritate penitus resorpta, limpida et ab illuvie depurgata omni, in lagannis reponi possit vitreis.

Per admisionem elaeosacchari plantae cuiusdam odoriferae cum illa ex tempore paratur aqua, compositae destillatae haud assimilis,

**Arnica offic. (G. Betonie
des montagnes, Arnique,)**

Foliorum infusum, ex pugillis eorum tribus cum aquae fontanae seu cerevisiae libra una factum, (cujus cochlearia duo omni sumantur bihorio, infusioni florum et decoctioni radicis longe anteferendum est.

**Calx viva offic. (G. de la
Chaux vive,)**

Licet nomen genericum calx multis datum chemicis substaniis; hic loci pro producto calcinationis lapidum et terrarum calcarearum maxime sumitur; quanquam tamen ex partibus animalium, et vegetabilium, ut ossibus, cornu, conchyliis, plantis submarinis, lithophytis, calx paretur. Cum salibus alcalinis vel etiam cineribus mixta, dat:

**Lixivium forte, (G. Lessive
forte,)**

quod ad saponis confectionem requiritur, et ex quo etiam:

**Lapis causticus chirurgorum, vel cauterium potentiale
(G. Pierre à Cautère, Cautère
potentiel,)** fit.



Rec. Calcis vivae uncias tres.

Sufficienti aqua extinctis addatur.

Salis alcali vegetabilis puri uncia una.

Mixtura moveatur spathula lignea, et, per chartam emporeticam filtrata, evaporetur in sartagine ferrea, bene mundata, donec omnis aqua abacta sit, et massa, instar olei, fluat; tunc illico effundatur supra laminam. Indurata et adhuc calida servetur in vitro bene obturato.

Usus illius externus constat; aqua bene dilutus in locum solutionis sufficere potest salis Tartari.

Cannabis offic. (G. Chanvre,)

Vis ejus fere narcotica, stupefaciens, Galeno, Kaempfero et aliis; Ra jam cognita.

Semina emulsa, emulsionis amygdalinae loco, praecipue in gonorrhoea virulenta commendanda sunt. Uncia illorum una cum aquae fontanae unciis sex emulsionem dat pulchram.

Dosis in substantia scrupulus, drachma una.

Prae oleo amydalino oleum illorum ut praescribatur, opto.

Cantharis offic. (G. Mou-ches cantharides,)

Omnium temporum medicis suscep-ta, jam Dioscoridi infamis fuit. Septicum veneneum, viis urinariis quam maxime infestum, plurimorum morte notatum, monumenta hodierna satis superque testantur. Omni insecti parti vis caustica, urens et capiti et alis et pe-dibus et corpori.

Emplastra vesicatoria officinalia mihi non arident; melius enim rubefaciens vesicansque effectus sese prodit, pulverem cantharidum fermento pa-nis, etc. admiscendo, tali tamen propor-tione, ut in summa ad illius unciam cantharidum drachmam dimidiam, et minima grana quindecim recte or-dineris.

Mixtum hoc l. tinctura cantharidum vices gerant linimenti volatilis.

Carbo vegetabilis, dephlo-gisticatus, (G. Charbon végé-tal dephlogistisé,)

In aqua aliisque liquoribus, faecum commixtione vitiatis corruptisque, Lowizio teste, eximiae fuit efficaciae.

Carduus tomentosus offic.
(G. Artichaut sauvage, grand Chardon aux Anes,)

Succum herbae recentis adfectorum cancroideorum, in primis vero faciei, averruncum esse, experimentis aliorum meisque extra omnem dubitationis positum credo aleam. Dolendum est, plantam hanc nondum pro dignitate sua in praxi cultam esse medica.

Cera citrina, (G. Cire jaune,)

Per pannum laneum colata praeterea alba, vilitatis pretii caussa, praerogativam habet.

Per se ob nimiam tenacitatem interne nunquam dedi, nec aliis adjunxi medicamentis, si vitrum antimonii, cuius inservit praeparationi, excipias; applicatio ejus externa in cereolis ciberrima.

Creta alba, (G. Craye blanche,)

Lota pura, siccata, in mortario ferreo subtilissime pulverisetur, et lavetur

in aqua eosque, donec illi nullus sapor aut color communicetur.

Magnesiae sine omni haesitatione substituere possumus.

Dosis coohlear parvum aliquoties per diem.

Ope cretae, aquam marinam potabilem reddere, docuit in commentar. soc. Harlemens. P. 11. clar. Allemant „ quatuor pintis aquae marinae cretae unciam addendo, “ obtinuit: „ pintas quatuor potabilis aquae, melioris ea, quae calce pararetur. “

Externe in ulceribus laxis, liquidis siccatur, stringit, absumpto humido, puncta contactuum augendo fibrarum.

Daucus off. (G. Carotte sauvage,)

Duae species sunt, sylvestris et hortensis. Prior ut medicamentum; posterior, ut alimentum non displicet. Prioris semina virtute eadem, qua semina foeniculi pollent, gaudent. Exhibentur in pulvere ad drachmam unam bis vel ter de die; infunduntur ad unciam unam, duas.

Enula offic. (G. Aunée, Enule Campane,)

Cum calamo aromatico, angelica et camphora, quoad vires cardiacas, magnam habet convenientiam; immo priores antecellit. Neumannus e radicis libris duabus drachmam et scrupulum semis materiae cujusdam elicuit camphoratae, eamque spiritu quidem vini, neutiquam vero aqua solvi, affirmat.

Activitas radicis hujus substantiae resinosae magis, quam gummosae est adscribenda et acredo quoque a principio volatili, (quod sub evaporatione maximam in auras dispergit partem,) simul derivanda.

Ut humorum massam corrigens, radix haec bardanae, saponariae, stipitibus dulcamarae etc. ut expectorans, betulae albae, senegae, gummati ammoniaco, asae foetidae, caet. propiores edidisse effectus, experimentis deprehendi propriis. Decoctum illius in sannanda scabie herpetibusque devincendis quibusdam, unguenti enulati in con-

nubio, nuperrime adhuc magnas sibi vendicavit laudes.

Praestantius est infusum vinosum aut aquosum a drachma dimidia ad unciam semis datum. Dosis pulveris scrupulus, drachma una.

Foeniculum aquaticum offic. (G. Ciguë aquatique, Ciguë d'eau,)

Non infamia cicutis affine. Increibilem pene efficaciam in vulneribus, quin profundioribus, contusionibus, vietiis lymphae, phagedaenis, phtisique pulmonali ulcerosa semina exseruisse, indubitata res est. Initio aegrotis meis pulveris illorum apice cultri quantum capere possunt, dans, cautus in dosi sum; temporis tamen progressu per viginti quatuor horas ad drachmas duas vel tres de die ascendo.

Gratiola offic. (G. Gratiola, Herbe à pauvre Homme,)

Non solum alvum, sed etiam vomitum movet. Jalappae, Ipecacuanhaeque praepono, quoniam minoris emenda sit, ut indigenum.



Folia pro purgante in pulvere a
granis quindecim ad triginta; in in-
fuso. a drachma una ad duas exhiben-
da sunt; sed validum postulant corpus.

Est etiam purgans radix, quae
pulverisata a scrupulo semis ad drach-
mam semis ingeri potest.

In sanatione ulcerum inveteratorum
pedum, vegetabile illud saepè fuit
auxilio, ita, ut specificum quibusdam
visum sit.

Hirudo offic. (G. Sangsue
offic.)

Depressa, nigricans, supra lineis
flavis sex, intermediis nigro-arcuatis,
subtus cinerea, nigro-maculata frequen-
tis ad modum in medicina usus est;
in primis vero ad restituendum haemor-
rhoidum fluxum suppressum ano adpli-
catur, et in morbis omnibus, quos ille
solvit, p[re]e aliis sanguinem mittendi
methodis, prodest.

Loefflerianus illum applicandi
modus, ut optimus, medicos non la-
tet litteratos.

Hordeum offic. (G. de l'Or-
ge.)

C

Praeparatione sol avarians, triplex.
Quod tegmine suo cereali adhuc investitum, integrum; quod hoc ablato, nudum est, mundatum; quod, suspensa mola, in minora, margaritis similia, granula, contritum, perlatum audit.

Integrum plus deterget demulcetque, aliis modo nominatis. Veteribus usitatissimum erat ad parandam ptisanam, cuius usus in febribus omnibusque morbis acutis celebratur.

Decoctum hordei ex unciis duabus seminum in sufficiente quantitate aquae, ad dimidium colaturae consumpta, factum, in omnibus aegritudinibus, quae sine mucilaginosis tenuioribus curari non possunt, valde proficuum, lactique ipsi, respectu viuum involventium, praeponendum est.

Hyoscyamus offic. (G. Jusquia me, Hane banne, de l'Endormi, la Mort aux Poules.) Radicem, herbam, semina officinae habent, et veterum et recentiorum observationibus hebetudinem sensuum motuumque inducentia. Medicorum, sae-



culo propiorum nostro, exemplo ductus, emulsionem e scrupulo uno et ultra seminum, interne, felicissimo cum successu, in variis affectibus, ubi opio opus erat, adhibui. Hoc ipso, in somno et quiete concilianda, aliquando potentiorem fuisse, observavi.

Infusionem e drachma una seminum illorum, cum vini sufficiente quantitate intra viginti quatuor horarum spatium paratam, laudano praestantiores fuisse liquido, saepe saepius expertus sum.

Lactucae sativae et virosae herbae recentis succus expressus, et ad consistentiam extracti inspissatus, opium, papaverino simile, praebens, in casibus admittendus est analogis.

Limax rufus offic. G. Limace rousse.)

Succo abundat mucoso. Viventes adhuc, ulceribus tumoribusque scrophulosis a duabus ad tres mane et vespera impositae, spem meam fere nunquam sefellerunt.

Liquiritia offic. (G. Reglis.)

Radix saccharum supplere potest; decocta amarescit. In filamenta divisa, vel rasa, unciae semis, unius dosi infunditur saepius; drachmarum duarum pondere aliis adjicitur. Dosis pulveris scrupulus; drachma periculosa non est. Erysipelati applicatus insigni solamini fuit.

Malva offic. (G. Mauve.)

Doloris mitigatua, omnibona, epitheta medicam satis confirmant utilitatem, Plurimae hujus species sunt, quae promiscue ferme in officinis usurpentur. Habemus radicem, folia, flores, semina; sed herba, ratione virtutis emollientis, inviscantis, lubricantis, caet. aliis modo memoratis, immo althaeae, anteferenda est ipsi.

Dosis manipulus unus. Potest quoque instar potus Theae sumi. Datur ad libram aquae unam, manipulus semis.

Mentha spicata. (G. Menthe épiée).

Plures menthae species hinc inde insunt apothecis; omnes facile anteit

dicta, modesto praedicato ab aliis discriminata.

In pulvere ad drachmam semis praescribitur interne, in infuso, e drachmis duabus herbae cum aquae unciis sex facto, ad unciam semis, integrum. Externe, discutiente et roborante fine, in aquosis defluxionibus; antiseptico, in contusionibus, chirurgis multum utile recentis plantae folium. Oleum essentiale praeparatur destillando: herbae libram unam cum aquae communis libris octo ex vesica, donec aqua inodora transire incipiat. Aqua obtenta cum nova herba, addendo aquae fontanae sufficientem quantitatem, toties cohobetur, donec olei desiderati quantitas fuerit elicita, quod, ab aqua separatum, servandum.

Nitrum offic. (G. Salpêtre ou Nitre.)

Nostrum a nitro vel natro veterum, quod erat sal alcalinum, distinctum, cognitum non fuit illis.

Depuratur tali modo, ut:
Nitri crudi libras tres;



Salis alcali vegetabilis depurati unciam unam solvamus in vase vitro cum aqua communis libris sex. Solutio calida, per chartam bibulam filtrata, ponatur in loco frigido, ubi mox in pulcerimas, longas et pyramidales abibit crystallos, quae collectae, et, super charta emporetica, in libero siccatae aëre, serventur.

Spiritus nitri acidus seu acidum nitri vulgare, (G. Esprit de nitre acide, ou acide de nitre vulgaire,) melius antivenereum mercurio producitur: nitri puri siccatis; vitrioli albi ad albedinem calcinati partes aequales sumendo. Bene mixta indentur retortae Vitreae, et destillentur cum apparatu Woulfiano, cuius primum excipulum contineat aquam pluvialem depuratam, ponderi nitri aequalem, donec vapores assurgere cesserent.

Dosis: quantum aeger, sine molestiis faucium, sufferre potest.

Caput mortuum, igne aperto calcinatum, elixatum ac debita evaporatione in crystallos redactum, dat: arcanum duplicatum, (G Arcane double), cuius dosis drachma semis, una de die, optimum per epicrasis laxans.

Ova Gallinacea, (G. des Oeufs des Poules.)

In scopum nutrientem, quae adhibentur, debent esse sorbilia, id est, per coctionem non nihil inspissata; ita, ut in cortice suo videantur tremere; sunt enim sic multi nutrimenti, probae et facilis digestionis, convalescentibus, senibus, debilibus apprime convenientia; indurata in testa, aut etiam in pingui frixa, etsi robustioribus visceribus non noceant, debiliora tamen offendunt, mollissimo albumine in corium mutato; unde optime monuit Galenus, eo plus nutritre ova, quamminus induruerint; hinc variis præparationibus in jusculis diluta, in haec integre effracta, tremula sumuntur. Hoc tamen ova habent, ut facile putrescant; id eoque in febribus summa cum



cautela ordinanda sunt; licet tamen in his dederit Hippocrates, „libr 3 de morbis“; albumina enim aliquot, aqua fontana conquassata, pro potu humectante, refrigerante exhibuit.

Praeterea idiosyncrasia quibusdam contraria sunt, ut labia inde intumescant, et vesiculis hinc inde conspergantur, vel vomitu rejiciantur.

Ovi omnes partes satis raros eosque varios in medicina praestant usus. Albumen ovorum ad plures decoctiones depurandas adhibetur; vitellus olea et resinas aquae miscibilia reddit; tum, quae, fracta testa, albumen continet tenuis pellicula et suum in arte medendi invenit usum. In vulneribus, praecipue, recentibus, a quibus, ne corrumperentur, arcendus aër erat, hoc incommodi involvit, quod exsiccata et durior facta sit; sed tunc aqua tepida aut saliva aut halitu oris emollita fuit. Specifica autem nulla in hac vis; aërem a vulnero arcet; sic naturam juvat, et ob hanc rationem, de rara deligatione vulnerum tam pulchre scripsit Magati. Caeterum recens, humida, pe-

nis glandi applicata, effluere non potenter urinam evocat, experimento certissimo.

Pulmonaria arborea. (G.
Pulmonaire de Chêne,).

In fagis et quercu habitans, valde thoracicus et lichene plus valens Islandico, gummati Arabico alias palmarum facienti.

Ad illius decoctum drachmas duodecim cum aquae communis libra una sumas.

Vasculatim hauriatur.

Quercus officin. (G. Chêne,).

Corticis pulveri grosso ad fomenta, cataplasmata et injectiones adstringentes, alcoholique illius interne dato, eadem virtus, ut cortici adscribi posse Peruviano, in aprico est. In decocto unciae duae cum aquae simplicis libris duabus ad quartae partis consumtionem coquendae. Datur vasculatim.

In infuso frigido: unciae duae, cum aquae simplicis libris duabus per horas duodecim frigide extra-hendae.

Sal alcalinum vegetabile fixum, (G. Sel alcali végétal fixe,).

E claviculis vitis, aut e destillatione faecum vini residuum, combustum et elixatum, aut e cineribus ligni extractum quercini, optimeque reverberatum.

Praeparatum officinarum :
Sal alcalinum vegetabile, purum, (G. Sel alcali végétal pure,).

Rec. Tartari crudi q. v.

Calcinetur ad albedinem usque massam; tunc solvatur in sufficiente quantitate aquae fervidae, et lixivium, per chartam emporeticam filtratum, in vase ferreo bene mundato, evaporetur ad perfectam siccitatem, massam sub fine agitando spathula ferrea, ne fundo vasis adhaerescat.

Sal commune, (G. Sel commun.)

Sal culinare nostrum, fontanum, gemmae et marinum ejusdem sunt indolis, qua propter etiam culinare tribus aliis submittere possumus. Elegendum purum, crystallinum, cubicam referens figuram.

Eadem, quae de salis ammoniaci externa applicatione praedicantur, adscribenda quoque sunt illi.

Salvia offic. (G. Sauge.)

Infuso, e drachmis duabus cum octo unciiis aquae confecto, vasculatimque dato, sudores diarrhoeasque sic dictas colliquativas phtisicorum compescui negotio facilissimo, et febres intermittentes, cinchonam ipsam respuentes, sanavi.

Sambucus offic. (G. Sureau).

Roob, e libris sex baccarum recentium cum sacchari libra una coccus, continueque agitando consistentiam suam nactus, cum crystallis Tatarri junctus, egregium facit febrifugum.

Datur per se ab uncia dimidia ad duas.

(*Sapo niger off.*), (*G. Savon noir.*).

Est compositus e lixivio cum unguinoso animali, vel cum oleis aliis expressis. Vis pinguia cum aquosis uniens. Externe, lavandi caussa, oleorumque loco, clysmatibus adjungendus, convenit.

Tanacetum off. (*G. Tanaisie.*).

Flores et semina plantaginis latifoliae ejusque santonici, semina, respectu effectuum, in totum aequant, immo antecedunt; cum eorum adulteratio perrara sit, eique minoris constent illis. In pulvere dosis drachma semis ad duas.

Tartarus crudus off. (*G. Tartre crud.*).

Sal plantae acidus, essentialis, duplex vel albus vel rubellus, e vinis, acore perditis, maxima copia ad latera dolii deponitur. Eligitur album, ponderosum, solidum, pluribus apicibus, adamantis instar acuminatis, splendens.

Praeparata offic.

Tartarus depuratus, (G. Tartre depuré,). Cremor, Crystalli Tartari, (G Crême de Tartre, Crystaux de Tartre,).

Rec. Tartari albi selecti, per frequentem ablutionem a sordibus mundati, libram unam.

Pulverisatus coquatur in libris vinti aquae fontanae in vase figulino, vitreato, tecto, donec Tartarus solutus sit, ac cremor in superficie adpareat; fervens per panum laneum in aliud vas terreum coletur, et ubi refixerit, crystalli, qui, effussa aqua, colligantur, exsiccentur et asserventur.

Dandus a scrupulo semis ad unum.

Pinus abies, (G. Sapin,).

Conservanda. Terebinthina offic. (G. Terebenthine,).

Ex diversis effluens arboribus, diversa; sed aestimanda tamen communis tantum, ex qua oleum, male spiritus, destillatur.

Rec. Terebinthinae communis libras duas; aquae communis libras duodecim.

Vesicae, proportionatae magnitudinis, immissae, leni destillentur igne; oleum vero obtentum, ab aqua separatum, servetur.

Interne ad aliquot datur guttas.

Externe in chirurgia sese commendavit.

Balsamis non cedit.

Valeriana offic. (G. Valeriane,).

Antispasmodicum, quod nosco, facile primum, moscho ipso praestantius camphoraque. Radix evelli non debet, antequam caulem edat. Danda est a scrupulo uno ad drachmam dimidiam. Quidam non veriti sunt, drachmam integrum vel supra ordinare in vehiculo aquoso, vinoso.

Vitis vinifera. (G. Vigne,).

Vinum album, rubrum, succus uvarum fermentatus, principem inter medicamenta nobilissima locum obtinet, si moderate bibatur. Etenim grato suo

stimulo in fibras partium nervosarum agens, earum contractionem auget; sanguinis circuitum promovet, omnesque corporis functiones instaurat. Tonicum in omnibus morbis ex atonia militibus maxime nocivis. In nosodochiis martialibus remedium, summae ut necessitudinis omnibus roborantibus valeatur.

Discrimen, quod statuunt inter album et rubrum ridicutum, eum chemia non ostendat differentiam inter partes illorum constitutivas. Pro cordiali in infirmis per cochlearia, in convalescentibus ryathum semisse, totum detur.

Spiritus vini simplex (G. Esprit de Vin simple). e faecibus vini per destillationem factus.

Praeparata officinalia. Spiritus vini rectificatus. (G. Esprit de vin rectifié).

Rec. Spiritus vini rectificatissimi;
Aqua pluvialis epuratae partes aquiles.

Spiritus vini rectificatissimus, (G. Esprit de vin le plus rectifié, Alcohol,).

Rec. Portionem salis culinaris candenter liquefactam, laminae superinfundas, inque mortario calefacto pulveri,

satam, retortae injicias tubulatae; addas
dein pondus spiritus vini ordinarii,
(cujus gravitas specifica o, 821.) prope-
modum aequale retortae que excipulum
adponas. Mixtura haec ad gradum
ebullitionis protrahatur; liquidum tunc
ascensum in retortam retrofundatur;
denique calore ad siccitatem adparentem
residua, usque leni destilletur alcohol,
cujus gravitas specifica o, 792. sit.

Vitriolum Martis offic.
(G. Vitriol. de Mars.)

Plures extant species pluraque
praeparata; e modo dicto tamen om-
nia. Externe tutius, citius et fortius
agit Saturninis, interne limatura
ferrea potius.

Acidum vitrioli forte. (G.
Acide de vitriol fort).

Obtinetur ex illo, phlegmate super-
fluo per calcinationem liberato.

Acidum vitrioli rectifica-
tum, a spissitudine oleum appellatum.
(G. Acide de Vitriol rectifié,
concentré, Huile de Vi-
triol.)

Acidum vitrioli forte e retorta
vitrea destillatur, donec ipse hic in re-
torta liquor clarus sit, vase vitro bene
munito servandus.

Causticum externum, minore
dosi interne dandum, atque tum ad-
huc in aquosis suspectum.

Acidum vitrioli dulcifica-
tum. (G. Acide de Vitriol dul-
cifié,).

Rec. Acidi vitrioli concentrati li-
bram unam;

Spiritus vini rectificatissimi li-
bras tres.

Acidum vitrioli instilletur spiritui
vini, sub nomine:

Elixir vitrioli simplicis,
(G. Elixir de Vitriol simple).

Elixirium acidum pro usu
interno, (G. Elixir acide
pour l'usage intérieur,).

Minus carum, minusque anceps compen-
diofius et nontam frequenter adulteratum est
aceto, moles in acie versans, aqua carens

D

communi; mediante illo, urinam suam in potum sitim levantem transmutare potest.

Dosis a guttis decem ad quindecim, et quadraginta e debita portione aquae.

Si relinquatur haec mixtura per horas aliquot in quiete, deinde destillando abstrahantur circiter librae duae cessendum videlicet, antequam spiritus sulphuris volatilis prodire incipit; tunc productum oritur, quod servatur sub titulo :

Liquor mineralis (G. Liqueur minérale.) Hic magis antecedente vires possidet nervinas.

Datur a guttis sex ad viginti et ultra.

Acidum vitrioli tenuę, (G. Acide de Vitriol attenué.)

Spiritus Vitrioli (G. Esprit de Vitriol).

Rec. Acidū vitrioli concentrati unciam unam;

Aqua pluvialis depuratae uncias sexagib; annosque vobisudo missis;

Misceantur, lente instillando acidum
vitrioli in aquam.

Datur a guttis viginti ad sexaginta
ex multa aqua.

Vitrum antimonii. (G. Vi-
tre d'Antimoine,).

Rec. Antimonii pulverisati q. v.
Calcinetur ligne leni in vase terreo,
plane non vitreato, in pulverem cine-
reum, movendo perpetuo massam ope
bacilli ferrei. Calx haec antimonii
fundatur in crucibulo in vitrum et ef-
fundatur supra tabulam marmoream.

Hic pedem figo, sed magnum bar-
ba sua, etc. venerandum medicum mi-
hi objectionem movere videor: unde
tibi tanta experientia; unde tantus ap-
paratus; quare tua nobis in arte jam
senescentibus, scholas publicas frequen-
tantibus palam, ut honor linguae etc.
artique sit Hippocraticae, stren-
ue aliorum thesibus opponentibus,
tua inquam obtruder econaris: disco do-

cendus adhuc. Ejacavete caet ne cerebrum
vestrum nimiam patiatur effervescentiam;
omnis enim vehementior noxius esse solet
motus. Iam per tredecim et ultra an-
nos theoriae et praxi medicae chirurgi,
caeque manum admovi in quo tempore
sub praceptoribus meis et propriis ex-
perimentis plurima videre licuit. Aca-
demicis collegiis, quantum per graviora
fieri potuit, interfui, et ex ipso fonte
et libro naturae meam hausi doctrinam,
id est, ratiocinando et experiendo. Ra-
tiocinatio mihi erat cum vivis et mor-
tuis; experientia continua occurrebat;
aliam atque aliam faciem corporum, tam
circa aegros eorumque curam, quam
circa furnos exhibens: unde sensim, non
inutiliter tempus in disputationibus aliis-
que nugacioribus terendo, meorum pos-
sessor factus sum. Quae revera pauca
esse non nego; attamen non aspernata
ab omnibus.

Hisce ergo et similibus intentus stu-
diis, rem aggressus sum medicam. Quam
viam si quis culpet, meliorem ea nisi
mihi et aliis monstret, invidum et

malevolum existere, necesse est: calumni-
as enim et exprobationes post tergum con-
tumeliosas factas, non solum mihi, sed
et plurimis aliis, quibus praesentibus,
ne hiscere ea quidem de re audebant,
in medium proferre possem, si, vindi-
candi illorum flagitiosam invidiam, ani-
mo incitatus essem, Sed si alicubi il-
lae contumeliae locum obtineant, sal-
tem medicorum pectoribus altius in-
haerent, quas evomunt, prima data, sive
recta sive obliqua occasione, alterius fa-
mae proscindendi, sub specie suae sa-
pientiae, affectato vultu et lingua, plebi
aliisque imponentibus.

Sed quot capita, tot sententiae.
Illis, quibus e meliore luto fixit pre-
cordia Titan, hoc scriptulum, quale-
cunque sit, exponimus, ut illo utan-
tur, tanquam munere voluntatis opti-
mae. Quo si non abutantur, ad ul-
teriores in iis experimentis faciendas in-
quisitiones me cogent, ut in publicam
utilitatem majora et perfectiora proferam,



in rebus angustis inimicisque *) annuen-
tibus.

*) Quoniam non est nobis collutatio adversus car-
nem et sanguinem, sed adversus principio, et
potestates; adversus mundi rectores tenebrarum
harum; contra spiritualia nequitiae in coelesti-
bus.

Edit Vulgat. epist. ad Ephes. cap. VI



Sphalmata graviora typographica
(leviorum enim jam in praefatione ve-
niam petii,) sunt sequentia.

- Pag. 14. lin. 25. lege · grato post verbum : sapore
— 15. — I. — Pudentius plerumque carat
se curiusque sanat consultor,
quam actor;
— 15. — 2. — semper — sapienter;
— 8. — temperamenti post verbum
medicamentis.
— — — 14. — circumspēca legamus circum-
spēta.
— 20. — 22. — obnixi — obnixe.
— 26. — 7. — signum parentheseos post
verbum bīhorio ponatur.
— 29. — 4. — ut absorbens post verbum
ēficacie.
— 30. — 5. — cochlear.
— 34. — I. — sol lege sola.
— — — 10. — usitatissimum — usitatissi-
mum.
— 44. — I3. — flores et semina ejus plan-
taginis latifoliae santonicique.
— 47. — 10. — ridicutum — ridiculum.
— — — 14. — ryathum — cyathum.
— — — 22. — elsuratae — depuratae.
— — — — — aqules — aequales.
— 48. — 4. — retortae que — retortaeque.
— — — 9. — residua — residui.
— 49. — 24. — moles — milesque.
— 51. — 8. — ligne — igne.
— 54. — I. — in rebus — rebus.
— — — 2. — collutatio — colluctatio.
— — — 3. — principio — principes.
-

